



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia XVI. De Anima separata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

ad quæ educationis subiectum determinatum est. Item ab eodem fundamento non quatenus principium passiuum, sed tanquam actuum adequatum specificatione trahit relatio secundum omnia prædicata, quia licet fundamentum secundum se non sit determinatum ad omnia, est tamen determinatum ad producendam talē speciem relatione posito termino talis speciei, à quo tanquam à conditione relatio specificatur, quia relatione illius determinatur fundamentum ad producendam potius relatione similitudinis, quam relatione dissimilitudinis.

Obiicietur ergo etiam si intellectus sit indifferens ad producendum assensum, vel dissensum poterit specificare hæc prædicata, positis his speciebus tanquam conditione. Resp. negando consequentiam, quia species non determinat ut conditiones sed ut principia verè specificantia, quæ sibi specificationem arrogat, termini verò cum non se habeant ut principia, non specificationem sibi assumunt, sed illam relinquunt principio effectui relationum.

Quantitas si eiusdem speciei est in compositis, quæ de facto dantur, & in toto simplici non habet materiam, & formam, specificatur à prædicato quodam communi, in quo conueniunt materia prima, quæ de facto datur, & corpus simplex compositum, quod saltem existeret potest si de facto non existit. Si autem species differret in his compositis specificatur ex speciali illorum ratione secundum speciem rationis quantitatis, & ex communi secundum prædicatam communem quantitatis, quod materia primam, & corpus illud tanquam forma accidentalis illorum efficeret. Inter ipsas materias primas speciem diuersas, & ipsa corpora adequata simplicia possunt pro multiplicatione specierum quantitates speciem distinctam multiplicari, quod si contingat speciale prædicatum quantitatis ex natura specialis talis materiam primam, vel talis corporis simplicis trahet specificationem. Si tamen omnibus materiis primis etiam speciem diuersas eadem in specie quantitas conueniat, & omnibus corporibus simplicibus speciem distinctam eadem speciem quantitas adaptetur tota specificatio harum quantitatum rationi communi, in qua materiam primam inter se conueniunt, & rationi, in quam conspirant simplicia corpora tribuenda est. Examinare an quantitates speciem differant in corpore simplici, & in materia prima, & in diuersis corporibus simplicibus & diuersis materiis primis non spectat ad præsens institutum.

Præsentia specificatur à subiecto, quod est vera causa illius, & secundum diuersam illius naturam specificam diuersam in specie præsentiam accipit. Specificatur etiam à principio actiui, secundum illa prædicata ad quæ producenda sub his circumstantiis determinatum est.

De actione, & passione eodem modo philosophandum est, quæ semper ratione spiritualis, & materialis trahit ex subiecto, & ex principio materiali adequato, similiter ratione materialis, quæ ex duplici capite trahi potest, ratio naturalis, & supernaturalis ex principio iuxta sæpe dicta & vltima ratio specialis talis actionis ex principio & subiecto, variata enim natura cuiuslibet actio & passio diuersam naturam fortietur. Ex termino actio & passio nullam specificationem à priori trahit, quia terminus non est vera causa. A posteriori ab illo specificatur secundum rationem materialis, & spiritualis, hæc est enim optima consequentia: terminus est materialis: ergo illius actio materialis est, terminus est spiritualis: ergo actio productiua illius. Specificatur etiam à posteriori secundum gradum supernaturalis, recte enim inferitur, terminus est supernaturalis: ergo actio productiua illius supernaturalis est, non tamen adhuc à posteriori specificatur secundum gradum naturalis, non enim recte inferitur, terminus est naturalis: ergo actio est naturalis, potest enim terminus naturalis produci per actionem supernaturalem dependentem ab agenti supernaturali, cum quo essentiali connexionem habet.

De duratione si esset accidens distinctum eodem modo esset philosophandum ac de præsentia: situs, & habere non sunt entitates reales distinctæ à illis quæ per alia prædicamenta vagantur.



CONTROVERSIA XVI.

De Anima separata.



Gimus iam de natura Animæ, & de omnibus, quæ illi conueniunt dum est corpori unita. restat agendum de illa prout à corpore separata.

Primum, an habeat talem separationis statum. Secundum, quibus actionibus se in tali statu exerceat.

PUNCTVM PRIMVM.

An Animarationalis sit immortalis.

Animam rationalem perpetuò durare à prima sui creatione, dogma Catholicum est quod inter alia de eadem anima retuli Contro. 1. Punct. 3. Insuper statutum esse hominibus semel mori testatur Apostolus, & suadet ratio desumpta ex continua pugna inter qualitates requisitas ad unionem animæ conseruandam, & demonstrat quotidiana experientia, quæ videmus omnes homines mori, nullumque multum centenarium annorum numerum excedere & raro illum attingere, quapropter si probemus animam non mori sed perpetuò durare, manifestè statum separationis conuenietur.

De animi immortalitate disputant Philosophi omnes, qui vna voce, Epicuræis demptis, animam rationalem perpetuò duraturam fatentur, hæc veritas infusa est à natura omnium mentibus utpote valde necessaria non solum ad Christianam vitam, religionemque tuendam, verum etiam ad politicam peragendam. Nulla enim Respublica posset gubernari, neque ordinatè viuere, nisi metu pœnæ animis infligendæ post mortem non arceretur: hæc de causa, qui vera præmia, atque supplicia, quæ Deus probis, ac prauis hominibus fidei lumine orbat non cognouerunt, in commentitiis fabulas, fictaq; præmia bonis, malisque supplicia abiectis: deo cymba Acherontis, Elysij campi, canis Cerberus, Stygius lacus, & alia huiusmodi fuere conficta.

Hanc veritatem mirè elucidant P. Lessius lib. 2. de numinis prouidentia, & Conimbr. Patres eruditione selecti, tract. de Anima separata, q. 1. vbi quid de hac varij Philosophi senserint copiosè tradunt. P. Soar lib. de Anima c. 10. vbi innumeris testimoniis Scripturæ & Patrum hanc veritatem confirmat.

Est ergo fide sanctum animum rationalem perpetuò duraturum Eccl. 12. *abit homo in domum eternitatis sue.* Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* vbi sancti in vitam æternam vocantur Lucæ 16. *Factum est ut moreretur mendicus, & portaretur in sinum Abrahæ: mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.* Lucæ 23. *Domine, memento mei cum ueneris in regnum tuum: hodie mecum eris in paradiso.* Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere,* quæ testimonia aperte demonstrant perpetuam animæ durationem, & statum separationis relicto corpore post mortem. Alia quam plurima reperies apud Soar supra.

Neque tantum est fide certum animam rationalem perpetuò duraturam, sed etiam ipsam naturam suam esse immortalem & naturaliter non posse mori, quam veritatem probat Conimbr. & communiter Doctores auctoritate Concilij Lateranensis sub Leone X. sess. 8. vbi damnantur omnes, qui dixerint animam esse mortalem, & definitur naturam suam esse formam corporis, & esse immortalem, & præcipitur Philosophiæ magistris, ut soluant argumenta, quæ contra hanc veritatem adduci possunt. Quod si anima naturaliter mori posset non diceretur immortalis natura sua.

Neque P. Vasquez aliud insinuat cum dicit tom. 2. in 1. p. disp. 182. animam rationalem comparatam cum creaturis esse incorruptibilem, comparatam verò cum omnipotentiæ Dei esse corruptibilem, quia hic tantum docet animam rationalem à nulla creatura, sed tantum à Deo posse corrumpi, quod non probat ipsam non esse naturam suam æternam, quia licet anima rationalis petat perpetuò durare & hac ratione dicatur immortalis, in Concilio Lateranensi, certum est Deum posse illam annihilare, & cessare à conseruatione illius quantumuis anima eam exigit.

Rationem huius conclusionis inquirunt Doctores, qui omnes fatentur præcipuam esse desumptam ex recta prouidentia, ac gubernatione Dei, ad quam pertinet præmia concedere rectè viuentibus, & non impunè fontes peccatores abire permittere, sed in hac vita non semper id præstat, sæpe enim videmus impios superexaltatos, & pios religiososque viros abiectos multisque afflictos miseris: ergo signum est animam esse immortalem, & in alia vita præmium, suppliciumve secundum bona vel mala perpetrata reportaturam. Hac ratione vsus est Iob. cap. 21. n. 23. *Ille moritur robustus, & sanus, diues & felix: viscera eius plena sunt adipe, & medullæ ossa illius irrigantur: alius verò moritur in amaritudine*

anaritudine anime absque illis opibus. Postea verò subdit: in diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris ducetur. Hunc discursum eleganter sequitur D. Chryl. 4. de provident. & illo vsum fuisse D. Petrum ad probandam immortalitatem anime testatur Clem. Alex. 3. Recognitionum.

8 Confirmatur, & declaratur eadem ratio: Si animus hominis iusti non esset fructurus vlllo premio post vitam, sed instar bruti esset periturus, religiosiores homines miserabiliores essent, cum frustra flagellis, atque ieiuniis se in hac vita affligerent, frustra se à mundi huius voluptatibus continerent, & bene impij apud Isaiam dixissent: Comedamus, & bibamus cras enim moriemur, & rectè intulissent Exiguum cum tadio est tempus vite nostre, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab infernis, quia ex nihilo nati sumus, & post evimus tanquam non fuerimus: venite ergo fruamur bonis, quæ sunt, vino pretioso, & unguento nos impleamus, coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranscat luxuria nostra, nemo nostrum expers sit luxurie nostre, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est fors.

9 Nunc rationi aliæ adiungitur desumptæ ex spiritualitate anime, ex cognitione rerum æternarum ex appetitu ad illas, ex creatione eiusdem, per quæ extra causas ponitur independens ab omni creatura, ac proinde à nulla corrûpi.

10 Contra hanc veritatem adducit solent aliqua testimonia Scripturæ, quibus videtur significari animam hominis esse mortalem, sed hæc non de anima, sed de toto composito, scilicet de homine intelligenda sunt. Sic illud Ecclesiast. 3. Vnus est interitus hominum, & iumentorum, &c. Aliud testimonium 6. Synodi act. 11. in Epistola Sophronij. ubi dicitur intellectus non per naturam, sed per gratiam Dei esse incorruptibilis; explicandum est de gratia creationis, & particula negatiua non per naturam, hoc est, non ita per naturam illis competere durationem, ut non possit Deus illam destruere, quod si non faciat creationis gratiæ tribuendum est. Argumenta, quæ à ratione petuntur adeo sunt facilia soluta ut necesse non sit illa referre.

PUNCTUM II.

Alia de Anima in statu separationis.

1 Definitum est in Concilio Lateranensi citato animum rationalem esse formam corporis, ex quo infero ex se ordinari ad materiâ informandam, & totum constituendum quod cum conveniat illi ex natura sua, cum natura sua sit forma ut definit Concilium, in omni statu illi convenit. Ex quo infero secundo in statu separationis habere innatam inclinationem, & appetitum ad informandum materiam, & ad illius vnionem.

2 Nihilominus assero animum iam separatum à materiâ in secundo instanti separationis, & reliquo tempore nullam pati violentiam, quia non quotiescumque aliqua entitas non assequitur id, ad quod habet appetitum, est violentia. Ratio huius conclusionis est quia anima separata non est in actu primo in secundo instanti separationis, neque est neque fuit in præcedenti in actu primo ad informandam materiam, & terminandam vnionem cum illa: ergo nulla fit illi violentia; quia causæ non existent in actu primo ad effectum saltem in instanti præcedenti per negationem illius nulla fit violentia.

3 In primo autem instanti separationis existimo violentiam fieri animo rationali, quia cum expellitur à materiâ, est cum resistentia eiusdem anime, quæ præcessit in instanti præcedenti expulsionem, sicut resistentia caloris respectu frigoris illum expellens: deinde est cum expulsionis dispositionum, quas exigebat animus rationalis & introductione aliarum contra eiusdem existentiam, quæ omnia sunt cum resistentia formarum impossibilium, & earundem violentia; ex quo infero esse connaturale animo iam separato durare in illo separationis statu esse, tamen violentum constitui in illo.

4 Obiicies: Animus rationalis habet perfectiorem modum essendi, & perfectiorem modum operandi in statu separationis, quam vnionis: ergo non habet appetitum ad vnionem. Antecedens probatur: in statu separationis est & operatur independentem à materiâ, in statu vero vnionis dependentem ab illa. Nego primam partem antecedentis, & confirmationem illius, quia anima adhuc quando est unita materiæ habet suam entitatem, & existentiam independentem ab illa. Secundam partem illius, vide-

licet habere in statu separationis perfectiores operationes, concedo, & nego consequentiam: quia appetitus innatus non semper inclinatur ad statum in quo perfectiores operationes sunt, sed in statum ad quem entitas natura sua ordinatur siue in illo perfectiores, siue imperfectiores operationes exerceat.

Animum rationalem secum ferre potentias omnes certum est in nostra opinione, quæ illas ab anima non distinguit, licet dicendum non sit animum separatum habere potentiam videndi, quia licet hæc non distinguatur ab anima, cum tamen hæc non habeat alia principia, neque deorganizationem requisitam ad videndum dicatur non posse videre, & consequenter non habere potentiam videndi, hoc est omnia requisita ad visionem.

Animum rationalem posse intelligere, & amare in statu separationis certum est: dubium an secum ferat species impressas, quas habuit in hac vita: affirmatiua pars est communis, & rationi consona, quia anima rationalis recordatur earum rerum, quas in hac vita egie, & cognovit, adhuc dum est separata ut constat ex historis, & scripturis etiam sacris, in parabola enim epulonis inducitur agens de rebus, quas in hac vita egie, & plurima testimonia ad hanc rem inveniuntur in lib. Sapient.

Dices recordari per species à Deo infusas. Contrâ, quia sine fundamento dicitur Deum damnatis infundere species, deinde cum possumus sine nova specierum infusione deludere animas separatas recordari obiectorum, quæ in hac vita nouerunt, ad quid sine fundamento illam debemus confingere.

Obiicies: animus rationalis in statu separationis habet cognitiones perfectiores, quàm in instanti vnionis: ergo per diuersas species. Respondeo animum separatum in statu separationis habere aliquas operationes perfectiores, posse tamen alias habere similes his, quas habuit in statu vnionis per easdem species. Adde admissio antecedentis absque vlla distinctione posse consequentiam negatiuam: quia animus separatus potest eisdem speciebus perfectiores cognitiones elicere, quæ eisdem idem animus vnitus elicere.

Dicendum est etiam animum rationalem in statu separationis habere species intuitivas substantiarum, & accidentium aliorum, licet non omnium. Hæc conclusio probatur, quia animus separatus est cognoscitivus harum entitatum: ergo æquum est ut Deus tribuat illi principia necessaria ad aliqua illorum cognoscenda, vel immediatè producta à Deo, vel ab ipsis obiectis, simul cum anima: quomodo autem hæc species tribuantur, disputatur in materia de Angelis, eodè enim modo quo species producentur in Angelo dicendum est produci in anima separata.

Si inquiras quomodo obiectorum animus separatus rationalis habeat species, respondeo: quod si illas ab obiectis percipiat, habiturus species illorum obiectorum, quibus fuerit approximatus: si autem à Deo producantur non potest id certa regula definiri.

Potest animus rationalis separatus à corpore discurre, & vnus inferre ex alio, & colligere ex his quæ intuitu videt alia, quorum non habet species intuitivas, in quo nulla est repugnantia.

In Beatis non manent habitus fidei & spei, quia illorum loco succedunt lumen gloriæ & possessio seu contentio Dei, de quo in materia de visione. Manent habitus reliquorum virtutum infusarum, quæ charitatem comitantur, & acquisitarum, quibus illorum animi maximopere ornantur: in his tamen pereunt errorum, & vitiorum habitus, quia impossibiles sunt cum visione beatifica: in damnatis pereunt vitiorum habitus, digni sunt qui priuentur. Virtus locomotiva manet in animo separato, quia cum illo est identificata, imò etiam si distingueretur eam secum ferret: esset enim spiritualis ut pote productiva præsentis spiritualis anime, quam potentiam potest animus exercere in se ipsa. An verò possit alia corpora mouere localiter operatione efficaci definiri non potest, probabilius apparet pars affirmatiua à paritate Angeli potentis hæc materialia corpora mouere.

Obiicies contra id, quod diximus animum separatum posse discurre, & recordari obiectorum, quæ in hac vita agnoscit per species, quas secum fert testimonium Apostoli 1. Corinth. 13. dicens scientiam nostram destrui in patria. Respondeo Apostolum dicere scientiam nostram destrui ex parte, quia id, quod in hac vita per ænigmata, in alia facie ad faciem cognoscemus, quod non est destrui in patria species omnes, quas habuimus in via.